

bat Pirolini instauratione non indigere ecclesiam, ita ut opus esset onerum parochialium translatione. S. Congreg. autem ratum habuit

IRREGULARITAS.

SACRE CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. *Denegat. dispensat. ab irregularit. ob defectum claudicationis.*

Irregulari clerico tanquam claudicanti dispensationem negavit S. congregatio, ut ad sacros ordines promoveri posset in Albinganum. Irregularitatis 20 Januarii 1798.

(2. *Dispensat. ab irregul. ob intervent. in latronum occis.*

Irregularitatis dispensationem a sacerdote Francisco Xavero Durante contractæ, quia aderat præsens, dum socii proscriptos latrones occiderunt, distulit primum sacra congregatio per rescriptum *expectet*; mox concessit in Bisinianum. Irregularitatis 13 Septembris 1800, et 16 Maii 1801.

(3. *Irregularitas non contrahitur in censuram violat. nulliter latorum.*

Irregularitatem incurrisse negavit S. congregatio canonicum Massi, licet celebrasset postquam vicarius capitularis nulliter eundem a divinis suspenderat: in Montis alti suspensionis et irregularitatis, 13 Septembris 1800.

(4. *Dispensat. ad cautelam.*

Ab irregularitate ad cautelam dispensatur carmelita frater Emmanuel a SS. Trinitate, qui morbo affectus crus sinistram flectere non poterat: in Barchionem. Irregularitatis 11 Julii 1801.

(5. *Denegat. dispensat. ab irregular. ob læsionem sinistræ manus ex venationis causa.*

Denegat S. C. dispensationem ab irregularitate Philippo Maggiorani parochi S. Martini in valle Astæ, qui dum venationi non clamose operam dabat, in ballistæ igneæ extra modum impletæ explosione suam lævam ita læsit ut deinde mortis vitandæ causa brachii partem amputare necesse fuit: Burgi S. Sepulchri 18 Junii 1785. Denuo sacerdos preces exhibuit, et etiam episcopus, parochiæ incolæ vocarunt, et S. C. rescripsit ad secretarium cum SSmo. juxta mentem: 7 Julii 1787.

(6. *Dispensat. ab irregul. ob amisionem in venatione digitorum sinistræ manus.*

Dum sacerdos Cajetanus Falbo collegiæ ecclesiæ Cacurri canonicus licitæ et ab ipso episcopo permissæ venationi vacabat, digitos sinistræ manus ex igneæ ballistæ dirumptione amisit universos. Supplex modo sistit in S. C. pro dispensatione obtinenda; præsertim cum plenissimum de bonis ejus moribus gravique paupertate testimonium afferretur, atque experimento constaret eundem idoneum repertum fuisse, tam in cæremoniis quam in omnibus aliis sacrificiifunctionibus; et S. C. annuit, dummodo celebret hora a populo minus frequentata: Geruntinen. dispensat. ab irregul. 24 Maii 1788.

(7. *Denegat. ab irregularit. ob brach. attract.*

episcopi decretum, tum quoad Interdictum, tum quoad translationem: Firman. *Interdicti*, 19 Maii 1787.

Clericus Joannes Baptista Bertoluzzi læsus in brachio dextero ex pernicioso pustulis, nuncupatis *Vajolo* in ætate puerili, ut ad sacerdotium ascendat, postulat dispensationem. Episcopus omne abesse periculum et populi offensionem, sacerdotibus ecclesiam Burgetti indigere, familiam ejus plurimis missarum oneribus esse gravatam, et præ angustia rei familiaris ea implere non posse affirmat; sed S. C. dispensationem ab irregularitate denegavit. Nam attractum brachium dexterum inutile ad faciendum sacrum fere habebat: Abbinganum. irregularit. 11 Februarii 1797.

(8. *Denegat. ab irregul. ob inhabilit. laevi brachii.*

Sacerdos Franciscus Pujol et Carner apoplexia correptus a sexennio omnem amisit laevi brachii manusque usum; ideo exoravit pro facultate sacrum faciendi cum auxilio alterius sacerdotis seu dispensatione ab irregularitate; sed licet episcopus ei faveret, quia omnia ad sacrificium necessaria sufficienter explere valet, et sine adstantium admiratione in oratorio privato. S. C. dispensationem petitam denegavit. Vicen. irregularit. 19 Augusti 1797.

(9. *Denegat. dispensat. ab irregul. ob claudicat.*

Ita clericus Franciscus Ambrosius Lamberti a sinistris claudicat, ut testimonio ejus parochi sine baculo deambulare nequeat; ob id dispensationem ab irregularitate postulat ut ad majores ascenderet ordines. Episcopus testatur quod in experimento periculum, populique offensionem parit deformitas; nec adest Ecclesiæ necessitas neque utilitas. S. C. petitioni dissensit: Albinganum. irregularit. 20 Januar. 1798.

(10. *Denegat. dispensat. ab irregul. ob homic. secut. ex verberat.*

Quædam femina evangelista, quæ pro linteolo recuperando domum sacerdotis Josephi Muscat petierat, verberibus crudeliter ab eo fuit percussa, et cum postea in inferius domi atrium cecidisset, non multum post temporis periit. Postulata proinde ab eodem sacerdote dispensatione ab irregularitate, S. C. ivit inficias: Melevitana Dispensat. 10 Jan. 1778

(11. *Dispensat. ab irregul. ob censur. ignoranter violat.*

Occasione cujusdam litis, sacerdos Nicolaus Giannuzzius adversus sacerdotem Vincentium Cacciatozem quasdam exhibuit paritas ex antiquis codicibus baptismatis et matrimoniorum extractas, quæ falsæ deprehensæ fuerunt; ideo criminalis querela contra Nicolaum a curia episcopali emanavit, vi cujus suspensionis poena in eum inflictæ fuit. Interim sacrificium missæ, censuram ignorans, peregit, proindeque petiit absolvi et dispensari. A suspensione, abso-

lutione contenta, inde ab irregularitate a S. C. fuit dispensatus: Ugentina Dispensat. ab irregularit. 14 Martii 1778.

(12. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. secut. ex verberat.*

Excitata contentione inter Nicolaum Beviacqua operarium, et notarium Constantinum Quici levirum sacerdotis Joannis de Alexandro primicerii ecclesiæ cathedralis, idem notarius prædictum Nicolaum lignea virga graviter verberavit, et super accedens primicerius, aliis arreptæ palæ ictibus ipsum Nicolaum percussit, evenitque ut in actu percussio Nicolao corpus suum curvanti luculento vulnere concisum fuerit, et ad breve morte non sua functus est. Inde contra primicerium processu confecto ille irregularis fuit declaratus; confugit ergo ad S. C. pro dispensatione obtinenda, et rescriptum tulit *dilatata*, et scribatur card. archiepiscopo Beneventano juxta mentem: Terularum dispensat. ab irregularit. 18 Septemb. 1779. Deinde Dispensationem reportavit. 29 Aprilis 1780.

(13. *Denegat. ab irregul. ob homicid. in rixa.*

Clericus Silvester Lupus in rixæ actu, et ad sui defensionem, Villicum Nicolaum Cippulam interfecit, concordatisque parte et fisco, petiit a S. C. dispensationem ab irregularitate, si in eam forte incidisset, ut ad presbyteratus ordinem ascendere possit ob beneficia quibus de jure patronatus suæ familiæ gaudet. Sed spes eum frustrata est, quia S. C. petitionem rejecit: Messanen. Irregularit. 16 Jan. 1780.

(14. *Dispensat. ad cautel. ob irregular. ob homic. casual.*

Rector seminarii episcopalis Nicolaus Marzianus ad vineam accessit, et secum duxit Franciscum Zingarellum adolescentem annorum sexdecim, qui in eodem seminario debebat ut nomen militiæ ecclesiasticæ daret, præcepitque illi ut sibi igneam ballistam traderet. Juvenis simul ac primum in manus sumpsit, improvise illa explosit, læsitque in humero dextero rectorem, qui post octo dies ex vulnere obiit. Curia laicalis adversus illum processit, etiamsi rector expresserat se nunquam dubitasse *che detto figliolo avesse commesso verun dolo, o colpa anche levissima*. Hinc Franciscus dispensationem imploratam a S. C. ad cautelam, ut ad ordines promoveretur, obtinuit: Andrien. Dispensat. ab irregularit. 20 Jan. 1781.

15. *Dispensat. ab irregul. ob baptism. iterat.*

Ex querelis delatis ad curiam Firmanam confecto processu, et examinato Francisco Monti parochi ecclesiæ S. Mariæ ad Mare in Castro Turris Palmarum, deprehensum est quod dictus parochus, licet de collato per medicum baptismo infanti ob imminens periculum bis ab obstetrice apertis verbis monitus fuisset, voluit nihilominus sacramentum iterum sub conditione conferre; hac de causa, eo postulante, S. C. locum

esse dispensationi existimavit: Firmana Dispensat. ab irregularit. 28 Aprilis 1781.

(16. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. ex vulnere.*

Cum sacerdos Antonius de Grandis a furioso fratre comprehensus timuisset ne ab eo interficeretur, uti refert episcopus, illius humerum ictu gladioli sauciavit, ex quo vulnere, vel ex chirurgi imperitia, post aliquot temporis spatium idem frater occubuit. Efflagitans autem dictus sacerdos dispensationem a S. C. negativum accepit responsum: Senogallien. Dispensat. ab irregularit. 16 Junii 1781. Inde eam impertita est. 18 Junii 1785.

(17. *Denegat. dispensat. ab irregul. ob homicid.*

In domo sacerdotis Alexandri De Angelis quando summa inter consanguineos ejus impendebat contentio, prædictus sacerdos e cubiculo, in quo se commiserat, ardens infesto arrepto gladio egrediens, in obscurum litigantium agmen se conjecit, et Antonium Diotallevi, quem ex animo et intimo sensu diligebat, ita vulneravit, ut binas post horas ipse interierit. Sacerdos hinc aufugit, constructoque interim processu, soluta ab eo poena fuit absolutus. Sed S. C. quam adiiit supplex, dispensationem ab irregularitate noluit indulgere. Nepesina Dispensat. ab irregularit. 3 Augusti 1782. Deinde rediit causa, et prodiit rescriptum: « *Expectet.* » 29 Novem. 1783. Demum, rursus exquisito S. C. judicio, in decisio rescribitur 24 Julii 1784.

(18. *Dispensat. ab irregul. ob viol. censur. etiam extrajudicial. lator.*

Capellanus Dominicus Bolmer, cui vetitum fuit sub poena suspensionis, licet extrajudicialiter indicta et renovata, ne e civitate Savonæ discederet, nisi prius onera missarum expieret, et de implemento rationem redderet, abivit, missam celebravit, exceptique confessiones sacramentales. Inde supplex obtinuit a S. C. dispensationem ab irregularitate arbitrio episcopi, dummodo compleret prius onera missarum quæ omiserat. Savonen. 14 Sept. 1782 dub. 2.

(19. *Dispensat. dilat. ab irregularit. ex ictu ferreæ fistulæ oculi oratione secuta.*

Petenti clerico Cyriano Mattei dispensationem ab irregularitate, eo quia, contendens cum Francisco Sartorelli, in eum ferream fistulam contorsit, ex eoque ictu oculum Franciscus amisit: rescribitur a S. C. « *expectet et ad mentem:* » nullius S. Laurentii in Campo Dispensat. ob irregularit. 19 Julii 1783. Inde, etiamsi abbas commendatarius dictum clericum, fisco et parti præstita satisfactione, et clericalem postea semper præsetulisse modestiam affirmet, S. C. nihilominus respondit iterum eidem dispensationem exposcenti: « *Expectet.* » 8 Maii 1784.

(20. *Dispensat. ab irregul. ob defect. Sacri Patrim.*

Delatum cum fuisset Ecclesiasticæ Curiæ sacerdotem Franciscum Apa, emen-

titis dimissorialibus sui Ordinarii litteris, absque legitima constitutione patrimonii, sacros ordines a Cajacensi episcopo ante tempus a Sacro concilio statutum suscepisse, mancipatus is carceribus fuit: inde liberatus ad Urbem confugit, et supplex dispensationem implorat: sed S. C. preces rejecit, et addidit ad mentem. S. Severinæ irregularit. 24 Jan. 1784 dub. 2. Postmodum, quando constet de sufficienti patrimonio juxta taxam Urbis coram Card. Urbis Vicario, concedere ex gratia speciali petitam dispensationem S. C. placitum fuit. 8 Maii ejusdem anni.

(21. *Dilat. dispensat. ab irregul. ex homicidio.*

Clericus Jacobus Antonius Jaccioli, sæculari habitu indutus, e domo cujusdam Ladorini egrediens, nulla præcedente rixa, fuit prima nocte aggressus, et in capite, et in humeris ita percussus, ut humi procumbere coactus sit; sed inde, sumpto gladiolo, aggressorem mortifere in ventre ferit, qua de causa post triduum ille e vivis excessit. Episcopus facti seriem confirmans, referebat, occisi patrum loci parochum de præfati clerici optima vita, bonisque moribus testari. Hinc clericus obtenta a defuncti parentibus venia, dispensationem ab irregularitate ellagitavit S. C. huic respondit: *Expectet.* Mutinen. Dispensat. 7 Febr. 1784.

(22. *Dispensat. ab irregul. ob censur. violat.*

Excommunicatio latæ sententiæ indicta jam ante fuerat omnibus parochis, aliisque sacerdotibus, qui absque prævia solemnibus publicatione matrimoniis benedicere præsumpserint, quando sacerdos Franciscus Antonius Pala vice-parochus in villa Marubii nocte vocatus, ut ad quamdam domum accederet, ubi pervenit, et ignorans quod in cubiculo clausi erant vir cum muliere, qui matrimonium contrahere exoptabant, clare significavit se non posse absque testibus præsentiam præbere; quibus intervenientibus, sponsi mutuum consensum panderunt; et vice-parochus inde celebravit: sed monitus ut se abstineret, supplex postulavit dispensationem, et S. C. eam donavit; Arboren. Dispensat. 13 Martii 1784.

(23. *Dispensat. ad cautelam ab irregul. ob homicid. incerto auct.*

Cum Antonius Tranquillinus in nono retatis anno constitutus, una cum aliis pueris ad quemdam montem pervenisset, omnesque ludentes sese invicem lapidibus puerorum more percutere cœpissent, accidit ut ex lapidis ictu puer sexennis post paucos dies e vita migraret, et plerique ex sociis culpam in prædictum Antonium deonerarunt. Hic, nulla obtenta Apostolica dispensatione, clericali tonsura, et primis duobus minoribus ordinibus fuit insignitus. Sed postea, dubitans de irregularitate, adiit S. C. quæ ad cautelam dispensationem impertivit. Tridentina Irregularit. 27 Martii 1784, dub. 2.

(24. *Denegat. dispens. irregul. ob homicid. ex impetu.*

Dispensationem denegat S. C. sacerdoti Alexandro Peola, qui objurgando de negligentia famulum, dissidiis causam præbuit: et timens ne ab hoc fervidæ indolis ac ballista ignea armato occideretur, ipse prius catapultam, qua ad venationem utebatur, in famulum expovit, eoque vulnere famulus nocte subsequenti occubuit; quamvis dictus sacerdos satisfactionem fisco hæredibusque defuncti præstiterit, ut ipse confirmat archiepiscopus, atque exemplaris vitæ specimen præbuerit. Papien. Dispensat. 24 Julii 1784.

(25. *Dispensat. ab irregul. ob ordinat. per saltum.*

Clericus Julius Emmanuel de Valle-Labo de Torre, postquam sæculari se adscripserat militiæ, atque in bello cum idololatris dimicaverat, iterum, clericali habitu indutus, ementitis sui Ordinarii litteris dimissorialibus, absque titulo patrimonii, ommissaque subdiaconatus et diaconatus ordinatione, presbyteratum suscepit, et pluries missam celebravit. Inde inquisitus ab ecclesiastica Curia crimina confessus est, et post pœnam relegationis, multamque solutam, supplex petit dispensationem ab irregularitate, et negativum tulit responsum. Visen. Dispensat. ab Irregularit. 27 Novem. 1774. Rediit orator nunquam sacrum celebrasse affirmans, et S. C. rescripsit; *Expectet.* 18 Aug. 1787. Denique eadem sacra congregatio recessit a decisio, et dispensationem una cum absolute impertivit. addendo ad mentem. 9 Aug. 1788.

(26. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in rixa.*

Dissensione ac dissidio facto inter sacerdotem Joannem Myr Lebres, et Aloysiam Villaseras, ita res excessit, ut sacerdos in mulierem furentem, et evaginato cultro in se irruentem armatam, in lumbos ictus vibraverit, calcibus in terram projecit. Exclamavit infelix mulier quod mortem sibi imminere timebat, et revera paulo post, ipso sacerdote adstante, et sacramentalem præbente absolute, oculos in mortem clausit. Sacerdos inde peregre ad urbem profectus est, seque omnibus spoliatum bonis victum emendicare, et post occisionem resipiscentiæ signa dedisse probare conatur, ac episcopus testatur, sed absolvi non valuit ab irregularitate. Majoricen. Dispensat. ab irregul. 27 Novem. 1784. Inde S. C. indulisit dispensationem, dummodo celebret extra locum commissi delicti. 19 Aug. 1786.

(27. *Dispensat. ab irregul. ob ordin. suscept. ante legit. ætat.*

Ementita baptismatis fide Joseph Gamero ante ætatem a jure statutam ordines sacros suscepit, et missæ sacrificium peregit. At mancipatus fuit is carceribus, et, probato crimine ex processu, præter pœnam, denunciatus est irregularis. Facti pœnitens diluit,

et dispensationem enixe desiderat; S. C. *Expectet* respondit. Malacitana irregular. 15 Jan. 1785. Inde gratiam impertita est: 21 Januar. 1786.

(28. *Dispensat. dilata ab irregul. ob homicid. secut. incerto auct.*

Sacerdos Sebastianus Coterli, ut fratrem colluctantem cum Petro Coterli patruale a discrimine liberaret, baculum arripuit, ictusque aliquos in brachium patruelis direxit, et in æstu pugnæ, properante jam nocte, ictu uno tam graviter Petrum in capite percussit, ut ille humi procumbere coactus fuerit. Frater vero sacerdotis Petrum humi jacentem pedibus in ventre conculcavit. Petrus inde discessit; sed nocte ipsa acerrimis doloribus correptus obiit. De duobus repertis contusionibus periti concordēs non fuerunt in detegendo causam veram qua occubuit. Sacerdos ob id petit dispensationem ab irregularitate, et audivit a S. C. *Expectet.* Utinen. Irregular. 15 Januarii 1785.

(29. *Dispensat. ad cautelam ab irregul. ob homicid. casual.*

Dispensationi locum esse ad cautelam censuit S. C. ad rogatum Joannis Mariæ Pau ecclesiasticæ militiæ nomen datur, eo quod cum a venatione una cum germano fratre rediret, ictus a ballista ignea fortuito erupit, et fratrem ita vulneravit, ut post paucos dies extinctus sit. Galtellinen. Dispensat. ab irregularit. 12 Martii 1785.

(30. *Dispensat. a cens. et irregul.*

Joannes Franciscus Gonzalez de Ulloa ad capellaniam quamdam fuit a legitimo patrono nominatus. Sed contradictor cum supervenisset, ille suis parentibus assensus est, ut ad removendam litem concordiam conculerent. Hanc pater oratoris iniit, pecuniam et quædam bona stabilia adversario donavit. Inde orator ordines suscepit minores, et subdiaconatum, illosque exercuit. Et re vulgata, petit absolute a censuris, ad omnem eximendam de simonia dubitationem, et obtinuit; modo implorat dispensationem ab irregularitate, et pariter sui voti compos factus est, restitutis fructibus, si quos perciperit. Aurien. 9 Aprilis 1785.

(31. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in rixa.*

Postquam pluries suppliciter rogaverat S. C. clericus Romanus de Azqueta pro dispensatione ab irregularitate contracta ob quamdam rixam anni 1776, de qua ait Ordinarius Pampilonensis ex processu resultare « dictum Romanum de Azqueta rixæ, et homicidio interfuisse quidem, sed ipsius auctorem, et præcipuum reum non fuisse, et regio fisco satisfecisse videtur. » S. C. indulisit dispensationem per Breve. Pampilonen. 9 Aprilis 1785.

(32. *Denegat. dispens. ab irregul. ob defectum legitimitatis.*

Absque spe gratiæ dispensationem de-

negat S. C. sacerdoti Honuphrio Piasechio munus parochi obeunti, licet impositam fuisse pœnam fateatur, qui, cum uxoricidium intra parocciæ septa perpetratum audivisset, assensus est ut cum uxoris cadavere reus quoque sepeliretur, et iniquo operi adstitit. Camenenen. Dispensat. ab irregularit. 30 Julii 1785.

(33. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. ex causa patrat.*

Prodeunti sacerdoti Augustino Frezza ab ecclesia, in qua sacrum expleverat, et cernenti fratrem diffugientem, nuntiatum fuit Julianum, cultro districto illum insequi, commotus ille periculo in aggressorem irruit, et eodem cultro ad necem eum percussit. De crimine autem inquisitus, et in carceribus a se ultro constitutus, delictum fassus est, lumbisque accepit sententiam qua a patria exsulavit. Elapso quadriennio postulavit dispensationem ab irregularitate, et prodiit rescriptum: *Expectet.* Consentina Irregularit. 30 Julii 1785. Deinde, inspectis peculiaribus archiepiscopi precibus, gratiam indulisit peractis spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua domo religiosa, arbitrio archiepiscopi, et dummodo non celebret in loco commissi delicti. 20 Maii 1786. Denique causa rediit quoad vetitam celebrationem in loco commissi delicti, et rescriptum emanavit: « Prævio recessu a decisio, pro gratia, arbitrio, et conscientia archiepiscopi, dummodo celebret in Oratorio privato, aut etiam in publica ecclesia, hora tamen a populo minus frequentata » 17 Aprilis 1790.

(34. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. ex impetu.*

Cum sacerdos Antonius Giva catapultam munitus jocosa quædam adversus Dominicum Mossam verba protulisset, et hic similiter subridens longe absens passibus centum quinquaginta in eminenti loco per ludibrium nates illi ostendisset, provocans: « En scopum, si vis explodere; » dictus sacerdos catapultam expovit, atque plumbea pilea mortale ei vulnus inflixit, ex quo sequenti die ab humanis excessit. S. C. eo postulante, et episcopo referente de compositione partis et fisci, constantique emendatione, dispensationem ab irregularitate concessit per Breve. Civitaten. 11 Martii 1786.

(35. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in rixa non ex animo secutum.*

Ludentibus nonnullis pueris, facta est rixa inter clericum Marcum Bulerium annorum quatuordecim, et Josephum Gugliemi annorum tredecim, consertisque manibus, prædictus Joseph scalpello librario clericum, a quo jam prostratus fuerat, contra se venientem in coxa percussit, et ex eo vulnere arteria intercisa, ille post paucas horas occubuit. Præfatus Joseph parti præstita satisfactione, ad clericalem militiam ascendere exoptat: hinc S. C. auxilium imploravit, ut una cum absolute sibi impertiatur dispensatio ab irregularitate, et eam obtinuit, quando constet de satisfactione fisci. Brugnaten. Irregular. 6 Maii 1786.

(36. *Dispensat. ab irregul. ob homic. non ex animo patratum.*

Leniter objurgatus ab archipresbytero Francisco Severino Fridericus Petrocchi ob nonnulla prolata verba, ipsum archipresbyterum semel et iterum cultro sauciavit. Qua de causa archipresbyter illum ictu parvi sclopi ad mortem percussit; inde archipresbyteratu renuntiato aufugit, et post emensos quinque annos ab episcopo, consentiente parte, veniam obtinuit, poenamque luit in religiosa domo. Modo dispensationem ab irregularitate cupit, sed a S. C. rejicitur, et *expectet* rescribitur. Sabinen. Irregularit. 17 Junii 1786; confirmat. 28 Julii 1787. Postmodum luculentissimo de probitate vitæ ejusdem oratoris, populique, cura episcopi testimonio relato, S. C. gratiam postulatam concessit. 27 Junii 1789.

(37. *Dispensat. ab Irregul. ob suscept. ord. per saltum.*

Acolytus Gabriel Lopez Oroscus, omissa subdiaconatu, et diaconatu, ordinem præbyteralem ab Hispalensi archiepiscopo cum subripisset, fictis dimissorialibus sui ordinarii litteris, ac simulata fide exercitacionum spiritualium, nec non ficto sacro patrimonio, ordinem per saltum susceptum exercuit; hinc impositas poenas a Curia Granatensi Gabriel subire debuit. Rogavit inde pro obtinenda dispensatione ab irregularitate, quam S. C. indulgit, imposita arbitrio episcopi salutari poenitentia, et adjecta lege commorandi, et celebrandi in ecclesia Villæ Malæ, quandiu dictæ ecclesiæ necessitas postulaverit, susceptis prius ordinibus omissis. Granaten. Irregularis. 8 Julii 1786.

38. *Dispensat. ad cautel. ab irregul. si quam incurrisset ob ordin. suscept. cum fictis dimissor. Ordinarii.*

Cum a Cephaludensi episcopo, cui suberat ratione originis et domicilii, nequiret sacris ordinibus insigniri acolytus Rosarius Castiglia, quia claudus paululum erat, testimoniales litteras sui Ordinarii ipse effinxit, et iis mediis dimissorias extorsit a Messanensi antistite, in ejus diocesi beneficium obtinuerat, atque ad omnes sacros ordines ascendit. Poenitentiam consuluit. Illa, ut res suas cum proprio episcopo componeret, indixit. Satis episcopi votis factis, et in ordinibus sic susceptis nunquam ministrasse asserens, petiit dispensari ab irregularitate. Dispensationem S. C. ei ad cautelam concessit. Cephaluden. Suspens. et Irregularit. 21 Aprilis 1787.

(39. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. ex percuss. in rixa.*

Ad eo venementer sacerdos Philippus Borg rixantem Philippum Hasciai ligno percussit, ut paulo post morte non sua defunctus est. Eum propterea episcopus e diocesi relegavit ad sexennium, et damna ac interesse refundere coegit. At orator solutione scut. 818 cum necati parentibus se composuit, et post

annum elapsam a delicto patrato, a S. C. dispensationem ab irregularitate rogavit. Et S. C. respondit ut, absoluta poena, preces instauret; poenam ille explevit, et gratiam tunc obtinuit, dummodo non celebret in loco patrati criminis. Melevitana irregular. 19 Januar. 1788, Conditionem illam inde delere avert Orator, et S. C. assensa est juxta petita arbitrio Episcopi, dummodo celebret hora a populo minus frequentata. 19 Junii 1790.

(40. *Dispensat. ab irregul. ob homic. involunt.*

Clericus Franciscus de Soulier, ad repellendam vim qua in eum commilito irruerat, illum commilitonem transfodit. Abjecta deinde militia, theologiæ studio operam navavit, et in episcopali seminario receptus fuit; rogante eo postmodum dispensationem ab irregularitate, S. C. eum repellit. Lemoivicen. Dispensat. ab irregul. 9 Augusti 1788, rursus dispensationem flagitans, suffragante episcopo, et comprobante homicidium, etiam in causa, involuntarium fuisse, eandem obtinuit. 8 Aug. 1789.

(41. *Dispensat. ab irregul. ob homic. ex causa.*

In Sacerdotem Marcum de Mathia, nuncupatum Pajer, levi de causa, verbis et minis irrupit clericus Angelus Biscontinus; sed hujus iram lenitate comprimere ipse studens obtinuit ut inceptum iter prosequeretur. Dum vero prima noctis hora rursus placide redibat, clericus ei occurrit, ut in suppositum lacum deiceret, et, quamvis integris viribus resistere præfatus sacerdos niteretur, majori tamen impar vi parvum cultrum, quo in aucupis utebatur, trepidans eduxit, atque aggressori opposuit, qui paululum cedens, ut robustius in illum irrueret, lethale postea vulnus fortuito accepit, ex quo post paucas horas occubuit. Sacerdos, qui mortem rescivit, arrepta fuga, per annum et ultra a patria exsulavit; sed tandem ultro se in carceribus constituit, et, fratribus occisi annuentibus, absolutus fuit. Dein ab excommunicatione absolute obtenta, imploravit dispensationem ab irregularitate, sed incassum. Concordien. Dispensat. ab irregularitate 9 Aug. 1788, confirmat. 27 Junii 1789. Demum S. C. recedendo a decisis, dispensationem indulgit, dummodo non celebret in loco patrati criminis. 15 Januar. 1791.

(42. *Dispensat. ab irregul. ob homic. culpab.*

Suis ruri vacans rebus igneam explosit ballistam sacerdos Januarius de Rosa in alienum custodem boum, qui prædium depascebat, non ut eum occideret, sed ut tantum in eum terrorem jaceret, sed plumbeis ille globulis vulneratus, post unum de viginti diem mortalitatem explevit. In homicidam animadvertit episcopus Marsicanus, et ad biennium in exteras regiones amandavit. Hac poena soluta, postulat ab irregularitate dispensationem, et instantiam S. C. rejecit. Iterum nil ei valuit supplicatio tertium exhibita, etsi de ejus bona vita, moribusque

probis testimonia protulerit. Marsicana dispensat. ab irregul. 30 Augusti 1788. Denique, peculiaribus inspectis circumstantiis, recessit a decisis, et gratiam indulgit. 15 Maii 1790.

(43. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. secut. in prohib. venatione.*

Clericus Joannes Franciscus Valriviere, armorum imperitus, vacans prohibita venationi *Perdicum*, dum stabulum ingressus aliquid se inflexerat, ut fabro salutem diceret, repentino ballistæ igneæ ictu, quam manibus gerebat, faber mortuus cecidit, parti, fiscoque satisfactionem præstitit, optimum de ipso testimonium perhibuit episcopus, spefatus perutilem imo necessarium Ecclesiæ ministrum futurum. Petiit itaque dispensationem, et impetravit a S. C. Cadurcen. Dispensat. ab irregul. 16 Maii 1789.

(44. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. cum circumstant. attenuantibus.*

Per inquisitionem curiæ laicalis Lucensis damnatus cum aliis fuit ad exilium, processusque expensis Joseph Gonzalez, uti reus homicidii; quam tamen sententiam quoad exilium superior judex revocavit, solutisque expensis, plene inquisitus satisfactionem præstitit fisco. Cum vero ecclesiasticum statum suscipere vellet, præsidio S. C. nititur, ut ab irregularitate dispensetur, accedente etiam episcopi testimonio eum commendante. S. C. votis ejusdem annuit; Lucen. Dispensat. ab irregul. 19 Decem. 1789.

(45. *Dispensat. irreg. ob homicid. in rixa secutum.*

Sacerdos Terentius Gervasi cum Antonio Garzonetti altercari cepit, et eo mutua processerunt convicia, ut Antonius lapide sacerdotis tempora cum sanguinis effusione percusserit. Iram hac de re acerbiorem sacerdos concipiens certabat, sed ab interposito detentus Archangelo Sarteschi cum eo colluctatus est, acceptoque in femore pugionis ictu, cum ipsomet Sarteschi ferro, eum in renibus ita vulneravit, ut quinto die ex plaga Sarteschi occubuerit. Curia episcopalis processum in eum confecit, ediditque hoc decretum, « in casu pro homicidio sacerdotem Gervasi non esse molestandum. » Nuper dispensationem implorat, quam S. C. denegavit. Lunen. Sarzanen. Dispensat. ab irregul. 27 Febr. 1790; confirmat. 7 Maii 1791. Precibus repetitis *Expectet* habuit rescriptum 12 Maii 1792; demum dispensationem assecutus est dummodo in loco commissi criminis non celebret. 16 Maii 1793.

(46. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in venat.*

Igniario elato Ficullis nemus venandi causa Thomas Brocchetti anno 1772 ingressus est; et ex inopinato igneæ ballistæ ictu Angelum Francisci morte dimisit. Damnatus in contumaciam fuit per quinquennium ad triemes, quo elapso, in libertatem vindicatus est. Inde integram vitam per decennium

inter regulares duxit; post 18 tandem annos dispensationem ab irregularitate efflagitavit, ut ad ordines promoveri possit, et S. C. eam indulgit. Urbeveta irregularit. 20 Martii 1790.

(47. *Dispensat. ab irregul. ob homic. casuale.*

Ad sedandum virum, qui nocturnas inter tenebras 9 Decem. 1787, cum sacerdote Nicolao de Stephano ejus fratre de re familiari rixabatur, pugnae se immiscuit fratria Theresia, et sive ab uno, sive ab altero inconsiderate impulsa, graviterque in occipite ad mensulæ cuspidem contusa, post triduum periit. Curia Aquilæ homicidium casuale, ac involuntarium declaravit, libereque sacerdotem dimisit, qui dispensationem ab irregularitate rogans, eam a S. C. retulit. Aquilana irregular. 15 Maii 1790.

(48. *Dispensat. ab irregular. ob homic. involunt.*

Lapidibus post cœnam a nonnullis monticolis appetitus, gladium sacerdos Michael Taraglio e proxima sua domo sumpsit, ut contumeliam vindicaret, sive ut redeuntem suum fratrem tueretur. Sed inter densas noctis tenebras Joannem Bonardium ejus amicum, qui secum cœnaverat, incaute transfodit, Missamque deinde ad celandam occisionem celebravit. Re autem cognita, damnatus fuit in contumaciam, per annos 5, ad carcerem. Requisita dispensationem, rescriptum est ut supplicet post expletam poenam carceris. Hodie absolvit illæ poenam, et preces iterum exhibuit, sed frustra. Nullius S. Benigni Irregular. 5 Junii 1790. Denique impertita est S. C. dispensationem, dummodo non celebret in loco commissi delicti. 3 Martii 1792.

(49. *Dispensat. ad cautelam ob homic. involunt. et casuale.*

Dum mense octobris 1789 a venatione quiescebat Bernardinus Angelinius, igneam ejus ballistam, quam elato deposuerat igniario, impulit sociorum alter Isidorus Santarelli, graviterque ex inopinato illius decidens ictu vulneratus, sequenti die vitam sibi invite exhausit. Ut clericali igitur initiari tonsura valeat, dispensationem ab irregularitate, quatenus in eam inciderit, Angelinius postulat, eique favet episcopus, et S. C. esse locum dispensationi ad cautelam censuit. Asculana irregularit. 10 Julii 1790.

(50. *Dispensat. ab irregul. ob homic. culpab.*

Anno 1780, die 2 Aprilis, dum virum inter et Antonium Rusconium sedabat discordias Maria Tampona in foro parochialis ecclesiæ Vervii in Plebe Matii Vallistellinæ, eam parochus Joannes Antonius Saligarius, cui fuerat in famulatu, in parochiales avocavit aedes; viroque illam flagitante, per diversam januam dimisit. Hujusce dimissionis ignarus a viro fuit Rusconius provocatus, vimque foribus parochialis domus inferre cepit. Ignem ad eum terrendum e ferreis repagulis ostentavit ballistam parochus,